

co non est nostrum, ut fusius in quaestionem supra prolatam inquiramus: potius autem pluribus demonstramus, cur, et quomodo **BLASPHEMVS** et **IDOLOLATRA** **EX ARBORE SVSPENSVS FVERIT?** Iudaeorum **MA G I S T R I** dictum illud: c) תליו קללת אלהים *maledictio Domini suspensus est*, ita explicant: ille, qui **BLASPHEMVS** est, uel nomini **IEHOVAE** maledicit, omnium atrocissimum, grauissimumque committit peccatum, crimen scilicet laesae maiestatis diuinae, et pro tam graui delicto acerbissimo **REVS** multandus est supplicio. **BLASPHEMVS** et **IDOLOLATRA** igitur, eum in finem **SVSPENDEBATVR** **EX ARBORE**, quia uel **DEO** maledixerat, uel falso, peregrinoque numini, qui solum **IEHOVAE** praestandus est, cultum exercuerat religiosum, ut mox primo intuitu spectatoribus appareret, cuiusnam criminis **REVS** hic **SVSPENSVS** sit, et ab unoquoque pro *maledicto Domini* haberetur; alii uero hoc exemplo addiscant, quam acerbe et grauitur **DEVS** illorum uindicaturus sit opprobrium, quo suum nomen sanctissimum affecerunt impii. Hanc causam **SVSPENSIONIS** primariam imo ipsius modum *codex SANHEDRIN* nobis fusius, prolixiusque descripsit, sic enim expressis legitur uerbis: d) כל הגסקלין נתלין דברו ר' אליעזר וחכמים אומרים אינו

c) Deut. Cap. XXI. uers. 23.

d) Cap. VI. §. 4. fol. 187. col. 2. conferatur **MOSES MIKKOZI** in **HILCHOT SANHEDRIN** Praec. affir. 103. fol. 188. col. 2. et **R. MOSES MAIMONIDES** cap. XV. fol. 738. col. 1. Porro euoluatur **FLAVIUS IOSEPHVS** in *Antiqu. Iudaic. Lib. IV. cap. VIII. §. 6. pag. 229.* ita scribens: ὁ δὲ βλασφημησας Θεον, καταλευθεῖς κρεμασθῶ δι' ἡμέρας, καὶ ἀτιμῶς καὶ ἀφανῶς θάπτεσθαι. Et **PHILO IUDAEVS** in libro suo de *legibus specialibus* pag. Edit. **ADRIANI TURNEBE** 617. F. et 618. A. inquit: μυστῆς μὲν γὰρ θανάτου εἶπερ οἶον τ' ἦν ἠέγεκεν αὐτῶν ὁ νομοθετῆς ἐπεὶ δὲ τὰτ' ἔκ ἐνεδεχέτο τιμωρίαν αἰδῆν προσδιατάττεσθαι, κελυων τῆς ἀνελοῦτας ἀνασκοποῦσθαι. καὶ τὰτο προστάξας ἀνατρέχει πάλιν πρὸς τὴν ἑαυτοῦ φιλασ-